e-codices

et illa præterea omnis cum honestatis, tum gravitatis plena,
hæc levitatis plenissima, amat ludrica, odio habet seria, uel etiam
contemnit vel ignorat, sed quid multis contendo? quid opus est mu[illegible]
rone ubi defendimur umbone? illi ipsi de quibus loquimur summi
viri, diuturno iam non diuturno tantum certandi imò vincendi
usu, ac consuetudine oculorum impetus reprimere, licentiam com
pescere, ac coercere didicerunt, isti vix sustinere, illos et ætatis
ipsius constantia, gravitas, prudentia, vitaq; sanctitas facilè
commonefacere, dehortari, ac continere poterant, hos verò quid?
constantia quam ætas illa nescio contemnit an odit verius? pru
dentia quam non habet? gravitas? hæc pueris ludibrio est, an
vitæ Sanctitas? scilicet quam ignorat, sed et illis fortasse
quod contueri detrectabant, cordi non ita fuit, aut si fuit, non ita
obvium fuit, in quod facile oberrantes oculi incurrerent, si
verò et hoc concedendum est, certè tam delectabile iis object
um fuisse negandum est, hîc verò per Deum Immortalem oro
vos Stud: quid horum non adfuit, aut quid abfuit? affectusque
tantum erga poma tanquam amantissima pueritia fert, ut
aurum etiam argentumq; iis posthabere non semel experientia
declaraverit, et cordi non erant? sed non ita obvia oculisq; oppo
sita? quid? vidissetis coram effundi vel suo strepitu pronunpentia
vim clausis etiam oculis allatura, saltatim deinde quasi per
tripudium, puerilis appetere, assilire, mordere, pedes, iam insilire
certatim deinde, se huc illuc ingerere, involvere, immiscere, quasi
euntium gressus præpeditura, deniq; hinc inde debilitatis viribus
remisso impetu volutari, blandiri, tamen allicere, sollicitare, post
remò sparsim iacere humi, ac lugentium more sordidata, et ster
orum [illegible] pulvere loco cineris consperta, vidissetis, et ecquis nunc est Relig:
Stud: qui obvia fuisse negare audeat? vicistis pueri, sed ignoscite
quod hoc vos nomine compellem, quo enim alio vos appellem non

Lizenz: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 317v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/de/zbz/D0147/317v)